

*Ex Libris*  
*D. Guil. Gesenül.*

*H. 262.*



כ"ה  
STRICTVRAE PHILOLOGICAE, *De 4550*

DE

ל י ל ג

SIVE

**GALILAEA,**

Quas

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
**DN. FRIDERICO AVGVSTO,**

PRINCIPE REGIO, ET ELECT. SAXON. HEREDE.

&c. &c.

Publicae Eruditorum Censurae submitunt

PRAESES

**IO. CHRISTOPHORVS**  
**VVICHMANNSHAVSEN,**  
LL. OO. Prof. Publ.

ET

RESPONDENS

**M. GEORGIVS MICHAEL DEDERLEIN,**  
VVeiffenburgo - Francus,

*Prid. Id. Sextil. A.O.R. MDCCXI.*

---

VITEMBERGÆ, Literis CHRISTIANI SCHROEDTERI, Acad. Typ.

STRICTURAE PINE LOGICAE

1713

DM

1711

GALLIA

1711

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
D. FRIDERICO AUGUSTO  
PRINCE REGIO, ET DUCI SAXON HERC.

1711

1711

IO. CHRISTOPHORVS  
WICHMANNSHAVEN

LE. O. Prof. Publ.

1711

M. GEORGVS MICHAEL DIEDERICH

1711

1711

1711





I.



H A N A N A E A E , qua ad Aquilonem & *Phoenices* porrigitur; oram à *Sidonis*, *Tyrisque*, finitimis gentibus, nomen חֲנַנְיָא, *Galilaeae*, primum accepisse, haud praeter rem conjicimus. Illi enim, hinc mari, illinc *Libano* monte, à populorum confiniis

naturae vi exclusi, cum hunc sibi solum imperii terminum, arbitrio hominum, versus continentem statui animadverterent, facile in id convenisse videntur, ut certo, & ad rem in primis accommodato, vocabulo חֲנַנְיָא, hoc est, *limitem, confinium, terminum*, communiter appellarent. Quod secus de *Chananaeis* dixeris, quippe quorum fines multo latius, quam *Galilaeae* nomen, patuere. Procedente tempore, ut fieri assolet, ex vocabulo proprium *Chananaeae* regionis, nomen factum est, quo omnis ille terrarum tractus qui Superior & inferior *Galilaea* olim vocatus est, significatur.

II.

CL. MASII ad *Ios.* XIII. 2, conjectura, qua, utrique *Galilaeae* ab adjacentis maris litore nomen extitisse, afferit, minus habet roboris, quod nec solo ea, nec undiquaque, mari terminatur, nec, quamobrem, haec potius, quam aliae regiones maritimae, à litibus nomen tulerit, ulla dari potest ratio, tametsi,

A 2

voca.

vocabulum גליל figillatim de oris, quae ad mare, vel flumina, pertingunt, vel propter litorum & riparum recessus, vel quia fluctus ibi vento ac aestu recipiuntur, volutatimque ludunt, vel denique à congestis ibi passim arenarum tumulis, ut loquitur ipse, proprie usurpari, forte concedamus.

### III.

*Superior Galilaea à Talmudicis in Sanhedrin. cap. I. גליל העליון, à Gorionide cap. LXI, גליל העליון, in historia Iudithae ἡ ἀνω γαλιλαία nuncupatur. Quorum ad similitudinem, quo minus Inferiorem, quam Talmudici גליל התחתון nominant, τὴν κάτω γαλιλαίαν, exemplo Iosephi de B. I. L. II. cap. IX. Graece appellemus, nihil impedit. Superior in Cod. Scheviith cap. IX. Halach. II. ea definitur, quae supra Capbar Hananiab, Phoenicem versus protenditur, nullosque producit Sycaminos, quo loco olim fere Nephtalitis fuit: Inferior, quae infra Capbar Hananiab procurrit ad lacum Genesariticum, & Sycaminos producit. Addunt Talmudici vallem Galilaeae, quam Gemaristae vallem Genesareth & adjacentia interpretantur. At sapienter monet CL. CELLARIUS Geogr. Antiqu. Tom. II, Libr. III. cap. XIII. discrimen Galilaeae à Sycaminis petium nec universale esse, nec fundamentum localium differentiarum, cum ea Superior Galilaea rectius dicatur, quae à finibus Tyriorum, Sidoniorumque, in ortum ad fontes Iordanis procurrit, & in ipso Iordane terminum habet: Inferior contra, quae ab Austro Galilaeae Superiori, à Septemtrionibus Samaritanae regioni subiacet, ab ortu lacu Genesareth, ab occasu monte Carmelo, & mari, circumscripta est.*

IV. Gali-

## IV.

*Galilaeam Inferiorem* CASAUBONUS quidem in *Matth.* IV, 15. et GROTIUS *ibidem*, eam fuisse opinantur, quam *Iesaias* cap. VIII, 23. גליל הגויים *Matthaeus* item γαλιλαίαν τῶν ἐθνῶν appellet, quod et *Capernaum* in ea, et tractus ille, propter maris adjacentis commoda, a gentibus undequaque collectis inhabitatus fuerit. At rectius alii, *Hieronymum* secuti, גליל הגויים, γαλιλαίαν τῶν ἐθνῶν, *Superiorem Galilaeam*, vel omnem, vel partem certe illius, interpretantur, cum in vulgus notum sit, in ea *Palestinae* Septentrionali regione colluviem quandam peregrini sanguinis, *Aegyptios* videlicet, *Arabes*, *Syros*, ceteros, confedisse. Quam sententiam, in *Chorographia in Matthaeum* cap. LXIX. defensam ante, non habuit sane, quamobrem mutaret deinceps IO. LIGHT-FOOTUS in *Marcum* *Secl.* II. assereretque, *Galilaeam Gentium* πέραν τῆς Ἰορδάνου, *trans Iordanem*, fuisse, additoque *Gentium* nomine, à *Galilaea* propria, quae cis Iordanem erat, distinctam. Nam cum in *Iesaiano* oraculo, ut erudite monet *Cellarius Geograph. Antiqu. Tom. II. Libr. III, cap. XIII, p. 477.* verba גליל הגויים à praecedendibus עבר ליררין per notam accentus *Sakeph* significanter dirimantur, nihil impedit, quin & vatem divinum, & enarratorem ejus *Matthaeum*, separatim à *via maris*, *Galilaeam Gentium*, nec per *Appositionem*, quam vocant *Grammatici*, nominasse arbitremur.

## V.

Huic *Gentium Galilaeae* quondam Rex THIDAL, *Gen. XIV. 1.* commemoratus, qui *Kedorlahomero* auxiliarias adversus *Sodomaeos* cohortes, ex foederis le-

ge, adducebat, censendus est imperasse. Cum enim *Ios.*  
*XII, 23.* in regibus, à *Iosua* debellatis, מלך גוים לגלגל  
*Rex gentium in Gilgal*, numeretur, in *Gilgal* autem,  
 loco inter *Hierichuntem* & *Jordanem* castris *Israëliarum*  
 alioquin celebri, nemo unquam, qui *Rex Gentium*  
 nuncupatus sit, regnasse perhibeatur, nec isidem, ac  
 rex *Hazor*, quippe qui *Ios. XII, 19.* separatim re-  
 censetur, esse possit, etsi **LIGHT FOOTUS** *Choro-*  
*graph. Matth. praemiss. cap. LXIX,* & **CELLARIUS**  
*Geograph. Antiqu. Tom. II. Libr. III. cap. XII. p. 477.* se-  
 cus sensisse videri possint: facile conficitur Septem-  
 trionalis tractus regem intelligi oportere, qualis *Gen.*  
*XIV, 1.* מלך גוים *Rex Gentium*, appellatur. Nimi-  
 rum גלגל & גליל nomina eandem significasse regio-  
 nem, *Galilaeam* puto, cum cognatio vocum, commu-  
 nisque origo, haud obscure prodit, tum vero **MOY-**  
**SIS** *Deut. XI. 30.* pronunciatum, quo montes *Gerizim*  
 & *Ebal*, *Sichemo*, seu *Samariae* confines, מור הגלגל  
 regione *Gilgalis* fuisse ait, multo ante, quam iste ad *Hie-*  
*richuntem* locus *Ios. V, 9.* cognominaretur, egregie  
 confirmat. Quid? quod in mediis *Galilaearum* ur-  
 bium regulis, post קרש *Kedes*, יקנעם *Iokneam*, רור  
*Dor.* &c. *Ios. XII, 23.* *Rex nationum Gilgalis*, tanquam  
 vicinior, recensetur? Et videtur sane id probe intel-  
 lexisse **IOSEPHUS**, cum *Archaeologiae* **L. XII. cap.**  
**XVIII.** *Demetrium* ait, castra metarum esse ἐν Ἀρβήλοις,  
 πόλει τῆς γαλιλαίας, quem auctor historiae *Maccabaeo-*  
*rum* **Libr. I. cap. IX. v. 2.** profectum esse scribit, ὁδὸν  
 τὴν εἰς γάλγαλα, et ad *Maesaloth in Arbela* contendis-  
 se. Idem sensere Interpretes **GRAECI**, dum גלגל in  
*Codd. Romano & Alexandrino γαλιλαίαν* interpretantur,  
 & **SYRUS**, qui, dum verba Ebraea מלך גוים *Gen.*  
XIV,



XIV, 1. per **גלגל** transfert, haud obscure *Galilaeae* vestigia ostendit. Quo minus audiendi sunt, qui vocabulum **גלגל** *Genes. XIV. 1.* nomen regionis vel urbis, vel ipsius etiam regis *Gilgalitici*, vel, vel *γαοοει* nuncupati, singulare esse opinantur. CLERICUM autem, qui ex ea nominum **גלגל** & **גליל** permutatione, *Ios. XII, 23.* vitiose scriptam **גלגל** pro **גליל**, emendandumque *Criticorum* opera esse, concludit, indignissimi *παεραλογισμῶς*, nefandaeque in divini Codicis integritatem injuriae, reum ac convictum arbitramur.

### VI.

Longe errant igitur, qui **מלך הגויים** *Genes. XIV. 1.* regem *Pamphiliae* fuisse credunt, aut, vocabulum **ιδιῶν** per **Συοθῶν** nomen exprimi oportere, cum *Symmacho*, & *Nicolao Fullero*, statuunt. Etsi enim demū forte *Fullero*, *Scythiam* à variis olim gentibus incultam fuisse, *Scythas*que propter illam promiscuam multitudinem a *Persis*, quorum in auxiliis frequentissime erant, **סר**, aut **סרסר**, *turbam miscellaneam* vocitatos esse: vero tamen videtur omnino propius, *Reges*, qui foedus et arma cum *Kedorlabomero* junxere, e regionibus *Palaestinae* vicinis, quam tam procul distitis, fuisse.

### VII.

Ut vero vox **גליל** *Ios. XX, 7. XXI, 32. 1. Reg. IX, II. II. Reg. XV, 29. 1. Chron. VI, 6. Ies. VIII, 23.* proprium *Galilaeae* terrae nomen aperte denotet, numero tamen multitudinis usurpata *Ios. XIII, c. 2.* **גלילות** vocabulum est, quod *finium* habet, *tractus*que, ac *limitum*, notionem. Hanc enim interpretationem cum ipsa

ipsa Ebraeorum verborum consecutio, כל גלילות, פלישתים, l. c. exigit, tum praestantissimorum quorumque interpretum consensio firmat. Ita CHALDAEUS כל תחומי פלישתאי, omnem terminum Philistaeorum, SYRUS ככסו כל ארץ פלשתיים, in toto, ut communiter vertunt, circuitu Palaestinarum, ARABS كل وادي فلسطين, omnes valles Palaestinarum, GRAECCI πάντα θρια Φυλιστιμ, omnes fines Philistaeorum, transtulere. Sapienter igitur KIMCHIUS, cujus vestigia plerique contribules sequuntur, ad eum locum commentatur: גלילות כמו גבול, Gelimoth hoc loco habet significationem termini.

### VIII.

Superioris Galilaeae partem fuisse ארץ סבול, terram CABVL, hoc est, viginti illas urbes, Phoenicibus vicinas, quas Salomon, Israelitarum Rex, Hiram, Tyriorum Regi, navatae in exaedificando templo operae hostimentum dederat, ex 1. Reg. IX, II, 12, 13, liquido cognoscimus. At non aequae facile, quomodo appellationis כבול notatio, & naturae loci, & animo appellantis, & suis causis, respondeat, definiant, eruditi. Nulla certe vocabulis חול, arena & סגור clausum, cum nomine כבול intercedit cognatio, ex qua conficere MVNSTERVS possit, illam Galilaeae regiunculam כבול vocitari, quod arenosa ac sterilis, ac propterea clausa quasi, hoc est, non habitata, esset. Nec GVSSETIVS rem confecisse omnem existimandus est, cum ejus nominis, quod, quippe à Rege Syro profectum, Syro = Chaldaicum esse credit, notionem in vocabulo קבול, coram, è regione, ante, ex adverso, contra, versus, quaerit, illoque regionem Tyriis oppo-

oppositam, vel confinem, significari, aliis persuasum cupit. Praeterquam enim quod elementum כ cum litera p liberius commutat, nullam exprimit fastidii, ex lustratis XX. istis urbibus capti, quod tamen nova nuncupatione *Hiram* memoriae proditurus fuisse videtur, causam. Eodem nomine castigandi sunt, qui cum LXX. Graecis כבול, quasi גבול esset, ὄμιον, *terminorum* interpretantur. ARABS, dum Ebraeam appellationem per *سوم* oppida spinarum, exponit, rem quidem ipsam, ab *Hiramo* intentam, at non propriam nominis significationem tangit, cum *حجر* apud Arabes *manuum*, pedumque obtruncationem, item *παράλυσιν*, à verbo *حج*, *corrupit se*, notet. Qui autem significandi vim, vocabuli כבול notioni affinem, nomini כבול attribuunt, & *terram* quasi *comeditam* illo appellari putant, quod palustris fere esset, & tenacissimi, qui commeantium gressus falleret ac retardaret, limi, etsi duriuscula videri haud injuria tralatio possit, forte haberent tamen, quod dicerent, si, eam fuisse istius soli naturam, idoneis argumentis comprobarent.

IX.

Est alicujus CABVL mentio jam *Ios. XIX, 27.* facta in locis haud procul disitis. Id vero utrum, hoc idem sit, an castellum, quod à IOSEPHO in *Vita sua* commemoratum volunt aliqui, in tanta rerum, obscuritate quis definire ausit, nisi cum DAVIDE MARTINIO ad *Ios. XIX, 27.* sentiat, à divinorum, qui, *Salomone* imperante, aut post, florere, vatum, quodam nomen כבול, tanquam notum illo aevo, ac pervulgatum, expuncto illi, velut exoleti & abolito, quod primus libri auctor scripserat, surrogatum,

B

aut

aut omnem *Iosuae* historiam longe post ejus tempo-  
 ra demum à viro aliquo divino conscriptam esse, &  
 in ordinem redactam? Denique nec illud certo affir-  
 met quisquam cum GROTIŒ, redditas has viginti,  
 quibus terra *Cabul* constabat, urbes *Salomoni*, quod  
 displicuissent, ab *Hiramo* esse, cum II. *Chron.* VIII, 2,  
 in quo confidit GROTIŒ, nec idem urbium deter-  
 minetur numerus, nec היה reddidisse, sed נתון de-  
 disse, HIRAMVS *Salomoni* urbes perhibeatur. Quid?  
 quod facile omne istius conjecturae robar evanescit,  
 si, ut MARTINIŒ ad I. *Reg.* IX, II. ingeniose com-  
 mentatur, *Salomon*, Rex prudens & religiosus, *Hiramo*  
 non ipsas urbes, quas, de peculio, *Israclitis*, sigillatim  
*Aferitis*, divinitus a scripto, surreptas, peregrinis gen-  
 tibus attribuere nefas esset, sed reditus tantum, &  
 vectigalia illarum, ad statum tempus ex pacto II.  
*Reg.* V, 6, II. concessit.

X.

Universae *Gahlaeae* ad orientem terminus est  
 IORDANES fluvius, ab *Ebraeis* ירדן, quasi ירדן, vel  
ירדן, descendens à *Dane*, ut aliqui volunt, speci-  
 osius sane, quam qui ex *Ior* & *Dan*, duobus fabulosis  
 fontibus, componunt, appellatus. Fontem fluminis  
 hujus certum propriumque non PANEVM esse,  
 ut communiter olim creditum est, sed PHIALAM,  
 lacum, à rotæ, quam praefert, specie nuncupatum,  
 ac CXX. stadiis à *Caesarea* ad dextram, non longe à  
 viâ, qua in *Trachonitidem* ascenditur, situm, miro pa-  
 learum injectarum experimento à *Philippo*, Tetra-  
 cha, repertum esse, tradit, IOSEPHVS *Lib.* III. de B.  
 II. cap. XXXV. καὶ δοκεῖ μὲν, ἰορδάνος πηγὴ τὸ Πά-  
 νειον, Φέγειται δὲ ὑπὸ γῆν εἰς τῆτο κρημνὸς ἐν τῆς καλεσμένης  
 Φιά-

Φιάλης ἢ δὲ ἐσιν ἀνιόντων εἰς τὴν τραχονίτιν ἀπὸ σταδίων ἑαυτὸν  
ἐπισημειώσας τῆς ἐδᾶ κατὰ δέξιον μέρος ἐκ ἀποθεν. Ἐκ  
μὲν ἂν τῆς περιφερείας ἐταίμως Φιάλη κεκλήσται, τραχονιδῆς ἕστα  
λίμνη. Ἄγνωστος δὲ τῆος ὁ Ἰορδάνης ἐντυθεν ἀρχεσθαι διὰ τῆ  
τῆραχονιδῆος τραχονιδῶν ἡλέγχθη, Φιλίππου. Βαλὼν μὲν ἔστος  
εἰς τὴν Φιάλην ἀχυσά, κατὰ τὸ Πάνειον, ἐνθεν ἔδοξεν οἱ πάλαι  
γενᾶσθαι τὸν ποταμὸν, ἔργον ἀνενεχθέντα. *Immissae igitur  
in Phialen paleae cum ad Paneum usque subterraneo  
alveo denatassent, veram Iordanis originem prodire.*

XI.

Est autem PANEVM τόπος, ἔνθα κορυφῆ τις ὄρεος εἰς  
ἀπειρον ὄρεος ἀνατίσεται, locus, ubi vertex aliquis mon-  
tis in immensam altitudinem surgit, ut ait IOSEPHUS  
de Bell. Iud. Libr. I. cap. XVI. An à Pastorum Deo,  
Pane, nomen acceperit, quod quidem LUCAS HOL-  
STENIUS in Notis ad Stephanum p. 154, haud inepte vi-  
detur arguere, liquido traditum non est. At id con-  
stat certius, montem istum, in extrema ad occasum  
Trachonitide positum, & fonti, ad radices sito, ex quo  
Iordanes aperto flumine defertur, & vicino oppido,  
quod Caesarea Philippi post à Philippo instaurore di-  
ctum est, & regioni circumiacenti, olim Paneadis  
nomen dedisse. Minus igitur accurate PLINIUS  
Hist. Nat. Libr. V, cap. XV, scripsit: *Iordanis amnis o-  
ritur à fonte Paneade, qui cognomen dedit Caesareae.*  
*Paneada* regionem *Trachonitidis*, laxius sumitae, par-  
tem facit PLINIUS I, c. cap. XVIII. Oppidum *Pane-  
as* non, ut PHILOSTORGIVS quidem vult, antiquum  
*Dan*, seu *Lais*, aut *Lescm* est, quod cis *Iordanis* fontes  
in *Galilaeae* confinibus erat, sed ab eo quatuor millibus  
in orientem trans *Iordanis* fontes reductum, ut ex

*Hieronymo* recte asserit *CELLARIUS Geograph Antiqu.*  
*Tom. II. Libr. III, cap. XIII, p. 621.* E *Paneade* autem  
 fonte *ναρά τας ἐξωθεν πίζας*, ad pedem montis *Panei*, pro-  
 rumpens *Iordanes*, dum in lacum *Samachonitidem* de-  
 vehitur, *Parvus*, lacum autem egressus, quod vel e-  
 jusdem undis, vel aliis fontibus, auctor prodibat,  
*Major* vocabatur. *Samachonitidem* enim lacum XXX.  
 stadia latum, longum vero LX. fuisse, & extendisse  
 paludes suas ad *Daphnen*, à similitudine *Daphnes An-*  
*tiocbenae* forte appellatum, amoenum certe, locum,  
 ac scaturientem fontibus, quibus *Iordanes Minor* sub  
 fano *Bovis aureae* augeatur, docet *IOSEPHUS de*  
*Bell. Iud. Libr. IV. cap. i.*

XII.

*Σιβεχονίτις*, sive *Σαμαχονίτις λίμνη*, a Talmudicis  
*ימא סיבכח*, *Mare Sibbecheum*, vocata, cujus paludes  
*Iordanes*, à *Paneade* aperto flumine delatus, transit,  
 haud inepta conjectura is lacus plerisque eruditorum  
 videtur, quem historia divinius *Ios. XI, 5.* *מי מרום*,  
 Interpretes Graeci *ὑδάτα Μέρρων*, aquas *Merom*, vel  
*Merron*, appellant. *ἄσωρον* enim, sive *Hazor*, ad quam,  
 veluti principem tunc ejus regionis urbem, & regis  
*Iabin* sedem, convenisse *Iabini* socios & auxilia, vero-  
 simile est, supra *Samachonitidem* fuisse sitam, *IOSE-*  
*PHUS Libr. V. Antiquit. cap. VI.* confirmat. Neque  
 vero aliae ullae in *Galilaea Superiore* aquae celebres,  
 praeter istum lacum, sunt, quem simpliciter *מים*, a-  
 quas appellari, *Ebraei* sermonis indoles facillime pa-  
 titur. Qui *מי מרום*, quasi *Aguas Superiores*, ratione  
 inferiorum, quas *Genesariticus* & *Asphaltites* lacus fe-  
 rebant, dici opinantur, praeter nominis notationem  
 nullum inveniunt opinionis firmamentum.

XIII.

Eluctatus *Samaritanidis* paludes *Jordanes*, jamque multo auctior, post CXX. stadia alteri lacui *Gennesareth*, haud procul ab oppido *Iulide*, illabitur, teste IOSEPHO *Antiquit. Libr. XIII. Cap. IX.* Hic in novi foederis Codice *θάλασσα τῆς γαλιλαίας, & θάλασσα τῆς τιβεριάδος*, in veteri instrumento, sigillatim *Num. XXXIV, 11.* כנרת י mare *Chinnoreth*, ab urbe *Chinnoreth*, quam *Graeci* *χενεσάρ*, *HIERONYMUS* *Cinereth*, scribunt, *Iosua* autem capite XIX, 37, inter munita oppida refert, appellatur, quoniam ager urbis ejus ad oram lacus *Gennesaritis* Septentrionalem a tribu *Nephthali* pertingit. Nomen a י כנרת *hortis*, seu *paradis*, principum, quos circumjacens regio frequentes habebat, non a *γεωθῆσαι* *dissq*, *Graecis* vocabulis, ut *EGESIPPUS* opinatur, duxisse videtur, cum *CHALDAEUS* interpret *Deut. III, 17.* ac *I. Reg. XV, 20,* pro כנרת *Ebraeo* גינוסר substituerit. Ut autem lacus inferiori *Galilaeae* ab ortu objectus est, ita γὰρ *γεωθῆσαι*, *Matth. XIV, 34.* quae ad oram lacus porrecta erat, ad *Inferiorem Galilaeam* censenda est pertinuisse. Erat enim ex mente Auctoris *Arueh*: מקום קרוי לטיבריא ויש בו גנות ופרדסים: *Locus pro-*  
*pinuus Tiberiadi, in quo sunt horti & paradisi.*

## XIV.

Idem lacus *Inferiorem Galilaeam*, ab *Austro Superiori*, à *Septentrione* regioni *Samaritanae*, ab occasu *Carmelo* monti, ac mari conterminam, ad ortum à *Gaulanitide* diremit, & per frequentissimas navigationes tam celebrem reddidit, ut *Galilaea* simpliciter, ac veluti *κατὰ τὴν ἑξοχὴν*, diceretur, cum *Superior* plerumque non, nisi cum adjectione, ἢ *ἄνω*, live *Gentium*,  
B 3 nomi-

nominaretur. Complexa autem est haec *Galilaea*,  
florete *Israëliitarum* republica, non tantum omnem  
tribum *Zabulon*, sed & partem *Nephtalitidis*, & *Isascha-*  
*riticae* terrae, in quarum alteram ab *Aquilone*, in  
alteram ab *Austro*, procurrebat. *Superior* enim,  
*Tyro* urbe & *Carmelo* monte intercepta, in ortum ad  
*Jordanis* fontes, post quos in ipso *Jordane* terminaba-  
tur, pertingebat, & qua *Mare Tyrium* ac *Carmelum*,  
*Aferitis*, à fontibus *Jordanis* autem ad lacum *Gene-*  
*sareth Nephtalitis* erat attributa.

XV.

*Galilaeae Superioris* terminus ad mare australis est  
**CARMELVS** mons, rebus à divino *Eli* gestis inclu-  
sus, quem à *Septemtrione* tribus *Aferitica*, ab ortu  
*Zabulonitica*, ab austro *Isaschariticae* ac *Menassaei*, cis  
*Jordanem* incolentes, attingebant. Montanum hunc  
tractum potius, per *Isascharitidis* latitudinem ad  
*Zabulonitas* porrectum, quam montem simplicem,  
fuisse, **IOSEPHVS** haud obscure innuit, dum *Libr. II.*  
*de B. I. cap. XVII.* πτολεμαίδα ἀπὸ τῆ μισημβωῆς κλίμα-  
τος τῶ Καζμήλω. διέχων σταδίαις ἑκατὸν ἑκοσι, *Ptolemaidem*  
ad *Austrum Carmelo CXX. stadiis* abesse, *Libr. autem.*  
*II. contra Apionem p. 942.* Edit. Froben. τῆς Φωνίης  
παρὰ τὸ καζμήλιον ὄρος δὲ τὰ πόλιν ὀνομάζονται, τεσσαρῶν  
ἡμερῶν ὄδου τῆς Ἰδαμαίας ἀφ' ἧς κούαν, *Phoenices urbem* quan-  
dam *Dora* appellari, quatuor dierum itinere ab *Idu-*  
*maea*, ad *Carmelum montem* distitam, confirmat.  
Praecipuum tamen ejus, qua mari alluitur, verti-  
cem sigillatim quoque *Carmelum* dictum esse, ut cre-  
damus, **PLINIVS** nobis *Hist. Nat. Libr. V. cap. XIX.*  
persuadet, dum *Promontorii Carmeli* meminit,  
quod & sedes fuisse videtur *Carmeli Dei*, & oraculi  
à Ve-



à *Vespasiano* consulti, ut refert **TACITVS** *Libr. II. Hist.* cap. **LXXVIII.** Nomen à foecunditate, quae ceteros *Palestinae* montes facile superavit, haud dubie traxit. Sive enim eum à כר & מלא, quasi *pascuosum*, sive à כרם & מלא, quasi *vinearium*, sive ab *Aethiopico* vocabulo **KARM**, *spica*, vel *racemo*, quasi *spicarium*, aut *racemosum*, nuncupari putes, locum fertilem ac frugiferum, qualis *Baschan* fuit, quicum **CARMELVS** *Nabum* 1, 4, conjungitur, indicari, necesse est, fatearis. Talem autem, oleis videlicet, arbuttis, ac vineis constitum, *Carmelum* fuisse, **HIERONYMVS** in *Jerem.* 1V, 26. testatur. Facile igitur damus *Criticis*, כרם certa propriaque notione vocabulum esse, locum foecundiorum significans, sed locis, praeter ceteros, fertilibus peculiariter, & נאל' עגו-  
 חו, attributum. Neque enim hujus solius *Galilaeae* montis, in quo oppidum ejusdem nominis, olim *Ecbatana* vocatum, extitit, proprium illud nomen fuit, sed etiam oppidi in desertis *Maon*, *Ios.* XV, 55, editiori in loco positi, ut ex 1. *Sam.* XXV, 5. colligitur, ubi *Nabal* praedium habebat, 1. *Sam.* XXV, 2. seqq. vel, si mavis, circumjacentis regiunculae. In *Moabitaram* terris autem nec montem quandam *Carmelum*, nec ejus nominis oppidum quaeret, qui, re accuratius expensa, intellexerit, כרםל *Ios.* XVI, 10, perinde ut *Ios.* XXIX, 17, XXXII, 15, *Jerem.* II, 7, XLVIII, 33, vocabuli notione per locum quemlibet ubertate frugum celebrem oportere explicari.

XVI.

In *Inferiori Galitaca* paene media mons **THABOR** *Isaschariticae* tribus terminus ad *Septemtrionem* *Ios.* XIX, 22, est, quem *Aquila*, *Symmachus*, *Iosephus*,

*sephus*, alii passim Ἰαβύριον appellant. Is nimirum ipse est, in quo *Barak*, cum *Siffera* manum conferturus, copias collegit, & ad cujus radices insignem ab hoste victoriam reportavit. Habuisse enim illum in vertice amplissimam, in quo & stare exercitus numerosus, & in armis exerceri posset, planitiem, auctor est IOSEPHVS *Libr. IV. de Bell. Iud. cap. VI.* Ἰαβύριον, inquit, ὄρος ἐστὶ τῆ μεγάλης πεδῆς καὶ σκυθοπόλεως μέσον. ἔ τὸ μὲν ὕψος ἐπὶ τριάκοντα σταδῖος εἰνέχει, μόλις πρόσβαλον κατὰ τὸ προσάκρῃον κλίμα. Πεδίον δὲ ἐστὶν ἡ κορυφὴ σταδίων ἑξ καὶ εἰκοσι. Mons *Itabyrius* medius inter campum magnum & *Scythopolin*, triginta altus est stadia, difficilisque ascensu, qua ad Aquilonem vergit, & in vertice habet planitiem **XXVI. STADIORUM.** Idem fere in *Itinerario ANTONINI MARTYRIS*, *Iuliomagi Andium* c. 10. l. XL. edito p. 4. & 5. traditur. De *Nazareth*, verba sunt ibi, venimus in montem *Thabor*, qui mons exit in medio campestri, terram vivam tenens, in circuitu millia sex, & in ascensu millia tria, sursum vero ad unum miliarium mons planus est. Frequens praeterea ejus in *Psalmis* est, & *Prophetarum* libris, mentio, crediturque communiter is fuisse, in cujus jugis *Servator* humani generis, *Christus*, humanam cum coelesti formam aliquando commutavit, *Matth. XVII, 2*, tametsi nullibi expresse in novo Instrumento nominetur. Amoenus ille in *Isaeharitarum* & *Zabulonitarum* confiniis mons טבור **HILLERO** in *Onomast. Sacr.* p. 942, quasi תרבור à ductu, qualis pecorum est, haud inepta conjectura, appellatus videtur, quod oppidum cognomine טבור *I. Chron. XVII, 32, Jos. XIX, 22*, vel ad radices ejus, vel in depressiori jugo situm, alias quoque רבורת *Jos. XIX, 12, I. Chron.*

*Chron. VI, 57.* & בתלל, a verbis eandem ducendi vel agendi significationem habentibus, nuncupatur. Idem oppidum POLYBIUS *Libr. V.* Ἀραβύσιον vocat, quod idem est cum nomine montis interpretibus familiari Ἰραβύσιον, quam appellationem a duobus vocabulis טבור עי ortum esse HILLERUS *l. cit.* existimat, quod mons in campestribus rotundus ac sublimis aequaliter finiretur, adeoque umbilico similis esset.

XVII.

Hoc Pedem montis THABOR ab Austro versus occasum torrens קישון Kischon alluit, quem ipsum aliqui ex Thabore oriri, ac quasi יקישון, laqueatum, dici arbitrantur, quod, *Macandri* more, sinuosus sit, variisque flexibus veluti in se redeat. Rapidissimum fuisse, ex *Jud. V, 21.* facile discimus. Verbum enim גרה, cui *Phoenicum* גרגפה, nomen fontis, *Dianae* sacri, circa *Plataeas* ad radices *Cithaeronis*, affine, etsi in *Divino Codice* praeterea non inveniatur, certam tamen rapiditatis ac impetus notionem gerere, ex frequentissimo *Arabum* usu demonstrat BOCHARTUS *Canaan Libr. I. cap. XVI, & XLII.* Sunt, qui eundem torrentem alias קרוטיים certo proprioque nomine appellatum esse ex *Jud. V, v. 21.* suspicantur. Ira Interpretes GRAECI in *Alexandrino Codice*, καθήσιμ pro καθήσιμ, in *Complutensi* καθήσιμ, in *Aldino* καθήσιμ, SYRUS item קרוטיים, & ARABS قروسيים, elemento ט in ט commutato, loco *Ebraei* קרוטיים posuere. Hos non in congrue quidem Cl. CLERICUS ad *Jud. V, 21.* Locutionem *Historici sacri* non satis expendisse scribit, qui de uno eodemque torrente sine ingratae ταυτολογίας vitio di-

C

*Eturus*

*et* *torrens Kison* devolvit eos, *torrens Kedumim, torrens Kison.* At improbum est, quod adjicit, si *torrens* unus fuisset duplicis nominis, id non indicaturam fuisse *Deboram* in cantico, sed scribam quempiam postea, exscribendo hunc locum, margini additurum, aut *נארא נאגוֹנְהָמ* textui inserturum קישוּן הוּ. Divinas enim literas scribarum pro libidine interpolatas esse, isthaec opinatio sibi substruit, earumque sollicitat integritatem. Neque propterea est, cur קרוּמִים nomen torrentis, *Kisoni* vicini, cum eodem Clerico faciamus, etsi post alios haud obscure in eandem sententiam CELLARIUS *Geograph. Antiqu. Tom. II. Libr. III. cap. XIII. pag. 509.* propendat, praesertim cum nullum praeterea ejus vestigium ex antiquitatum monumentis afferri queat. Quo enim *καθ' ἑξῆς*, vehementius ac concitatus, est dicendi genus, quod alias in hymno illo *Deborae* adhibuit, hoc facilius persuadet nobis PATRICIUS *Comment. in Ps. l.* Oratorum more, ut majori vi ac impressione fluat oratio, animosque percellat magis, *Jud. V, 21.* verba קרוּמִים נחל repeti, iisque amplificandae rei causa, vocabula interferi נחל קרוּמִים. Inde haec futura est verborum, ad orationis majestatem compositorum, consecutio. *Torrens Kison* abripuit illos: *torrens*, inquam, ille a multis inde seculis propter praeclara, quae prope gesta sunt, facinora celebris, *torrens Kison.* Intellexere id, qui in Vaticano Graecorum Interpretum volumine Ebraeum קרוּמִים נחל per *καθ' ἑξῆς κατὰ* explicue- re, & Chaldaeus, qui vim vocabuli קרוּמִים ita exprimit, נחלֵי תאמעבורו כיה נסון וגבורו מלקרמִים, לישראל: *Fluvius, ad quem res magnae olim gestae sunt in*

*Israël.*


*Israet.* Ceterum HIERONYMO, *Epist.* XVII. eundem *Kison* alioqui *torrentem Endor* vocatum esse contendenti, haud multum refragabimur, cum *Naim* ille, non longo ab oppido *Endor* intervallo, alluiffe, ac inde ab austro *Carmeli* in mare Magnum delatus esse, haud obscuro I. *Reg.* XVIII, 40. indicio, perhibeatur. ADRICHOMIUM autem; qua duos *Kisonis* rivos, alterum *majorem*, in *Phoenicum* mare supra *Carmelum* influentem, alterum *minorem*, in lacum *Gennezareth* decurrentem, statuit, dum rem electius confirmet, deferendum esse iudicamus.

XVIII.

Sunt &, qui DECAPOLIN, si non omnem, partem certe illius, in *Galilaea* collocant. Eam longissime in *Superiorem Galilaeam* fuisse porrectam ADRICHOMIVS cum *Brocardo Monacho* existimant, dum *longitudinem* ejus *triginta miliaribus*, *latitudinem paulo minorem*, *fines a Septentrione Libanum montem & Damascum*, ab Occidente *Sidonem urbem, & meridie civitatem Bethsan*, ad Orientem *trans Iordanem & mare Galilaeae ultra Gadaram, Hippum & Pellam*, civitates autem, quas complexa sit, *Caesaream Philippi, Asor, Kedes Neptalim, Sephet, Comzim, Capharnaum, Bethsaidam, Iotapatam, Tiberiadem, Bethsan* censerit scribit. NICOLAUS SANSON in *Indice Geogr.* p. 40. putat, omnes decem civitates esse ad mare *Galilaeae*, aut penes hoc mare, adeoque in *Galilaea Inferiore*, positas, & quidem, *Bethsan*, sive *Scythopolim* ad meridiem, *Tarichaeam, Tiberiadem, & Iotapatam* ad Occidentem, *Bethsaidam*, quae alias *Iulias* appellatur, *Capharnaum & Corosaim* ad Septentrionem, *Gerusalem, Gadara, Gamalam & Hippum* ad Orientem. Contra ea PLINIVS *Hist. Nar. Libr. V. cap. XVIII.* nimis ad Septentrionem DECAPALEOS regionem reducit, dum *Damascum, Philadelphiam, Rabbanam, Scythopolim, Gadara, Hippum, Dionem, Pellam, Galasam, Canatham*, ad eam referat. EVSEBIVS vero ac HIERONYMVS de *Locus Ebr.* p. 61. totam DECAPOLIN trans

lor-

*Jordanem circa circa Hippum, Pellam & Gadam ponunt. Quibus Geographorum disensionibus ita districtum se BONFRERIVS in Notis ad Onomast. Vrb. & Loc. Sacr. Script. p. 62. fatetur, ut non inveniatur, quod decernat. Ego, inquit, quid in hac re definitum, non habeo, nisi quod Decapoleos nomine maxime videatur comprehensa regio, quae erit juxta mare Galilaeae, & Jordanem minorem, sive circa sive trans haec sita. At facilius invenit, quod vero propius est, FRIDERICVS SPANHEMIVS Introduct. ad Geograph. Sacr. p. 78, ubi ita pronunciat. Decapolitana regio Cis-Jordanina vulgo censetur ea pars Galilaeae, quae ad mare Tiberiadiis. Aliis tota videtur Transammina, Scythopoli forte excepta, ex Plinii Libr. V. Cap. XVIII, & ita Lightfootius in Chorograph. sua. Vtrique male, si quid judicamus. Nam perrexit Christus à finibus Tyriorum ad mare Galilaeae per fines Decapoleos Marc. VII, 31, ut omnino cis Jordanem, in Galilaea etiam Inferiore pars Decapoleos fuerit. Sed & ultra Jordanem, & mare Tiberiadiis, magna ejus pars censeri debet. Omnem autem rem solidissime conficit CELLARIUS in Geogr. Antiqu. Tom. II. Libr. III. cap. XIII. pag. 639. seqq. dum monet, Servatorem O. M. Marc. VII, 31, non à portis Tyri, sed ἐκ τῶν ὀρίων τῆς καὶ Σιδῶνος, è finibus Tyri & Sidonis, qui ad Paneadem ferme in ortum, & longe juxta mare in meridiem extendebantur, egressum dici. A finibus ergo, qui ortum spectabant, si egressum existimemus, facile intelligi, per transfluminalem regionem, Trichonitidis oram, ac Batanaeam ἀπὸ μέσων τῶν ὀρίων Δεκαπόλεως, ad mare Galilaeae eum venisse. Ita, quae Matth. IV, 25. ἀπὸ τῆς Γαλιλαίας haud obscure distinguitur Δεκαπολις, à Galilaea distincta manet, & tota fere dimidia tribui Manasse trans Jordanem attributa, praeterquam quod Scythopolis, olim Betsan nuncupata, quippe quam IOSEPHVS Libr. III. de Bell. Ind. cap. XXXI, μνήσθη τῆς Δεκαπόλεως, & à gentibus non Iudaeis habitatam fuisse tradit, cis Jordanem in Menassitide sita fuit, quae tamen ultra flumen etiam agros qui ad suam ditionem pertinerent, videtur habuisse.*



Be 820. ✓

80

ULB Halle

3


003 246 310



1017

2. C.









כַּעֲהָ  
STRICTVRAE PHILOLOGICAE,

DE

ג ג י ל

SIVE

# GALILAEA,

Quas

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
DN. FRIDERICO AVGVSTO,

PRINCIPE REGIO, ET ELECT. SAXON. HEREDE.  
&c. &c.

Publicae Eruditorum Censurae submitunt

PRAESES

IO. CHRISTOPHORVS  
VVICHMANNSHAVSEN,  
LL. OO. Prof. Publ.

ET

RESPONDENS

M. GEORGIVS MICHAEL DEDERLEIN,  
VVeiffenburgo - Francus,

*Prid. Id. Sextil. A.O.R. MDCCXI.*

VITEMBERGÆ, Literis CHRISTIANI SCHROEDTERI, Acad. Typ.